

1760  
Q. D. B. V.  
Conclusionum Theoretico-Practicarum,  
AD INSTITUTIONES JURIS,  
EXERCITATIO LV.  
Ad Lib. IV. Tit. VI.

38  
10  
1698  
8

DE  
**ACTIONIBUS,**

Quam  
PRÆSIDE  
VIRO MAGNIFICO


**DN. GODOFR. Strauß/**

Jcto & Antecessore celeberrimo, Potentiss.  
Regis Poloniarum atq; Saxoniae Electoris in supremo Ap-  
pellat. Judicio, nec non Serenissimorum Principum Anhalt. Servestan.  
Confilario Aulico Splendidissimo, Facult. Juridicæ in hac Universitate  
ORDINARIO, Decret. Prof. Publ. Curiz Elector. Consistorii, & Scabina-  
tus ASSESSORE Gravissimo,

Domino, PATRONO, ac PRAECEPTORE suo

*debita observantia colendo,*  
IN JCTORUM AUDITORIO.  
Die 22. Januar. M. DC. XCVIII.  
defendendam suscepit

**JOH. WILHELMUS Graurock/ W. S.**



WITTEBERGÆ.  
Typis JOHANNIS VVILCKII, Acad. Tygr.



AD INSTITUTE...  
EXERCITATIO IN  
M. A. B. V. A. V. I.  
DE  
ACTIOIBUS.  
PR. ASIDE  
WRO. M. A. G. N. E. T. I. C. O.  
D. N. G. O. D. O. F. R. S. T. A. N. N. A.  
J. C. O. & A. M. I. C. E. S. S. I. O. R. E. C. E. L. E. B. R. I. T. I. M. O. P. O. L. I. T. I. C. A. L. I.  
R. E. G. I. S. P. O. L. O. N. I. A. N. N. A. P. O. S. T. R. O. N. I. E. S. I. C. H. O. R. I. A. I. N. L. I. B. R. A. R. I. O. A. P.  
C. O. N. S. I. L. I. O. A. L. I. O. S. P. I. R. I. T. U. A. L. I. T. A. T. I. O. N. I. S. P. A. R. T. I. S. I. N. D. I. C. I. S. I. N. T. E. R. I. O. R. U. M.  
O. R. D. I. N. A. R. I. O. D. E. C. E. T. P. R. O. F. I. C. I. S. C. O. N. S. I. L. I. O. R. U. M. & S. C. H. I. S. T. O. R. I. A. L. I. A.  
D. O. M. I. N. I. S. P. A. R. T. I. O. N. I. S. A. C. T. I. O. N. I. B. U. S.  
D. E. X. J. A. N. N. E. M. D. C. X. C. V. I. I.  
J. O. H. W. I. L. H. E. L. M. S. G. R. A. M. M. A. T. I. S.  
W. I. T. T. E. R. B. E. R. G.  
T. Y. P. I. S. J. O. H. A. N. N. I. S. V. I. T. T. E. R. B. E. R. G. A. C. T. I. O. N. I. B. U. S.





## JESU JUVA!

Exercitatio LV. ad Lib. IV. Tit. 6. §. 16. seqq. Inst.  
de Act.

*Thef. I. ad §. 16.*



**D**ivisio hæc Actionum in reipersecutorias & persecutorias poenæ itemque mixtas omnium optime ab objecto, maxime vero à fine petita dici potest. Omnium enim Actionum scopus eo tendit, ut vel rem, quæ nobis ex patrimonio abest, vel poenam, vel denique partim rem, partim poenam persequamur *LudWel. in Comment. ad h. §.* Unde qualitas reipersecutoria, aut poenalis Actionis respectu Actoris potissimum, non à parte rei æstimatur. *Huber, in Posit. ad J. b. t. §. 43.* Fallit igitur *Mynsingerus*, ad h. §. qui à causa formali divisionem hæc desumptam esse existimat. Sunt vero Actiones rei persecutoria, quibus persequimur id, quod nobis ex patrimonio abest, vel quia nostrum est vel quia nobis debetur. *L. 38. ff. de O. & A. Huber, cit. loc. §. 38.* Quorsum etiam poena conventionem promissa merito refertur; *§. fin. J. de V. O. L. ult. ff. de Prator. Stipulat.* Quia & hæc fungitur vice ejus, quod interest. *dict. §. ult.* poenales autem, quibus vindictæ causa poenam legitimam seu certo Jure constitutam itidem persequimur. *Conf. Viennius in Comment. ad b. §. num. 1.* Mixtæ denique nominantur quibus & rem & poenam petimus ac persequimur. *Mynsinger ad §. seq. num. 6.* Hic vero apprimè notandum, actiones variis modis dici mixtas (1) quatenus in rem & poenam sunt, *b. §. nr. jungatur §. 19. infra h. t. (2)*

A 2

qua.

quatenus in rem & in personam sunt, ut in §. 20. infra h. t. (3)  
quatenus uterque ex litigantibus duplicem personam sustinet,  
Actoris scil. & Rei. *vid. L. 13. de Judic. L. 10. fin. regund. L. 44.*  
§. 40

*Thes. II. Ad. §. 17.*

Actio in rem opponitur alias quidem, Actioni in personam Actio rei persecutoria autem Actioni poenali. Atqui & Actio in rem scripta distinguitur ab actione certæ personæ factum notante. Porro omnis actio in rem est persecutoria rei; Sed non contra, omnis actio rei persecutoria est actio in rem. Sunt enim multæ actiones personales rei persecutorie. Tandem actio in rem non est, nisi realis, actio vero rei persecutoria partim realis partim personalis: Actio autem in rem scripta est tantum personalis, v. g. actio quod metus causa dicitur esse in rem scripta, propterea, quod competit ei, qui metum passus est, adversus eum, qui metum intulit: ex post facto tamen ad instar realis actionis locum habet quoque adversus quemcunque, ad quem res per vim & metum amissa pervenit.

*Thes. III. ad eund. §.*

Actiones quædam ex contractu persecutorie etiam ad poenam se extendunt *b. §. ibi: fere omnes.* Exemplum se prodit in deposito miserabili: quando nempe tumultus, incendii, ruinae, naufragii causa aliquid depositum fuit; tum enim in duplum Prætor Actionem reddit. *b. §. nr.* Id quod pariter statuendum, si ob latronum vel hostium incursum quis rem apud alterum deposuerit. Et quamvis hoc nonnulli non admittant, cum poenalia ad consequentiam trahenda non sint *L. 14 ff. de LL.* sed mollienda potius, ac coarctanda *L. pen. ff. de poen.* tamen & in his quandoq; ob identitatem rationis extensio fieri potest *vid. 2. F. 24. jung. Franzk. Tit. ff. de LL. num.*

22. De cætero hisce casibus tum demum actio hæc mixta partimque in rem, partim in pœnam est, si cum depositario aut cum herede ejus de dolo ipsius scil. heredis agitur. Ob dolum namque à Defuncto commissum in simplum saltem contra heredem actionem depositi intendere licet. *L. 1. §. 1. L. 18. ff. Depos.*

*Tbes. IV. Ad. §. 18.*

Actiones ex maleficiis pullulantes iterum vel pœnæ tantum persecutoriæ sunt, vel mixtæ. De his §. seq. de illis in *b. §.* agitur: Exempli loco quoad pœnales tantum adducit Imperator actionem furti manifesti in quadruplum & nec manifesti in duplum, quia in utraqve de sola pœna agitur & rei persecutionem neutra continet. Cum potius is cui furtum factum rem ipsam propriis actionibus persequitur utpote reivindicatione, quæ adversus possessorem quemlibet locum habet, vel condictione furtiva. *b. §. nr.* Nee ergo faciendum cum *Bachovio ad b. §.* qui Imperatorem hic alicujus nœvi arguit, quod Actiones ex delictis persecutorias in *b. §.* omiserit quas tamen dari ex *§. fin. supra de obligat. quæ ex delict. nasc.* oppido constet: siquidem Imperator regularem Actionum ex delicto competentium naturam spectasse censendus, quæ omnes pœnæ persecutionem habent eamque vel solam, vel simul cum re quæ nobis abest. Interim inde non negat, posse etiam dari quasdam, quamvis paucas oppido Actiones ex delicto rei, tantum persecutorias: quo in censu sunt *Condictio furtiva & rerum amotarum Actio L. 7. §. 1. 2. de Cond. furt. L. 21. §. penult. de Act. rer. amet. Conf. Vinnius ad b. §. nr. 1.*

*Tb. V. ad §. 20.*

Quæ in *b. §.* memorantur Actiones mixtæ à causa efficiente ita dicuntur: quoniam tam in rem sunt, quam in personam *b. §. nr.* seu actionibus his rem simulque personales præ-

A 3

statio-

stationes persequimur. Rem namq; vindicamus ac insuper  
contendimus, adversarium ad dandum vel faciendum nobis  
esse obligatum, *Conf. Borcholt ad b. §. N. 1.* Unde easdem alii  
ratione essentia mixtas putant, quod ipsa partim ex dominio,  
ex obligatione partim descendant. *Bachov. Disput. 2. de Action.*  
*tb 7. Franzk. Exerc. 13. ad Instit. Quest. 3.* Exemplis res fit clara,  
Ita familiae erriscundae iudicium ex duobus constat articulis,  
rebus scil. & praestationibus personalibus concurrit siquidem  
hic in rem actio & in personam. In rem adest, quia per ean-  
dem rem hereditariam vindicamus: in personam quoniam  
mediante eadem simul intendimus, adversarium nobis ali-  
quid dare vel facere oportere vid. *L. 22. §. 3. ff. Famil. Erc.* I-  
dem in Actione communi dividundo contingit: cum & in  
eadem cernatur rei communis divisio, itemque praestationes  
personales. *L. 4. §. sicut autem ff. coramuni divid.* In rem ete-  
nim est haec Actio quia per eandem partem rei vindicamus: in  
personam, cum in illam veniant etiam praestationes persona-  
les, utpote si quae impensa ab uno sociorum in rem commu-  
nem facta, alter easdem pro parte ferre ac resarcire tenetur.  
*Borcholt. ad b. §. n. 2. seqq.* ubi simul tertium exemplum fi-  
nium regundorum adjungit ac declarat.

*Tbes. VI. ad dict. §. 20.*

Est autem actio familiae erriscundae seu dividundae, pro-  
ut in h. §. ab Imperatore describitur, quae competit haeredibus  
de dividenda hereditate. Hac etenim Actione inter cohae-  
redes de rebus hereditariis communibus dividendis, & quae  
earum occasione commoda vel incommoda ad alterum per-  
venerint, communicandis agitur. *Franzk. ad ff. Fam. Erc.*  
*num. 6.* Fundamentum hujus actionis est Jus haereditarium  
seu succedendi Jus simulque haereditatis communio. *L. 22. §.*  
*4. Fam. Erc. Struv. Exercit. 10. ad ff. tb. 42. Exerc. 15. tb. 30.*

Com-



Communi dividundo Actio autem est, quæ inter eos reddi-  
tur, inter quos aliud quippiam commune est ut id dividatur,  
§. 6. officio scil. Judicis ut quod alteri alterum ex dolo vel cul-  
pa lata ac levi in re communi admittit præstare æquum est præ-  
stetur: *Eckoltus ad ff. Tit. commun. divid. §. 2.* Atq; ita differt  
actio hæc ab actione pro socio. Illa namqve ad dividendas  
res communes conceditur, nec non de præstationibus perso-  
nalibus, quæ tempore divisionis intercedunt, hæc autem ob  
solas præstationes sine divisione & quidem ex societatis con-  
tractu competit, *Huber. in Posit. ad ff. Tit. Commun. divid. §.*  
*2.* Finium deniqve regundorum actio quæ inter eos agitur qui  
confines agros habent. *b. §. 27. ad hos scil. discernendos ac*  
*declarandos, nec non ad præstationem ejus quod eo nomine*  
*interest. L. 2, §. 1. L. 4. pr. & §. 1. L. 8. Fin. reg. via. Bachov. ad*  
*Treutl. Vol. 1. Disp. 19. tb. 1. Lit. D. Frantzk. Exerc. 13. ad Instit.*  
*Quest. 3.* Fundamentum enim hujus actionis est cum do-  
minium sive Jus in re *L. 1. L. 4. §. 5. & 9. L. 12. ff. Fin. reg.* tum  
Jus ad rem seu obligatio ex quasi contractu descendens. *Conf.*  
*ulterius Struv. Exercit. 14. ad ff. tb. 50.*

*Thes. VII. ad eund. §.*

Fit v. in familiae exerciscundz judicio divisio à Judice. *L. 21. §.*  
*1. 2. ff. Fam. excisc.* quippe qui boni Viri officio fungi debet,  
*L. 4. §. 1. eod. Conf. Perez ad Tit. C. Fam. exc. Num. 19. seq.* Ali-  
quando tamen & sine illo privata cohæredum conventionione  
suscipitur hæreditatis divisio *L. 3 L. 8. C. commun. utr. jud. & v.*  
de Jure Saxonico major natu Frater hæreditatem dividit, mi-  
nor eligit. *Land. Recht! Lib. 3. Art. 29. Constit. Electoral. 15. Part. 3.*  
Quem dividendi morem ubicunque locorum consuetudine  
esse receptum post *Gailium Lib. 2. Observ. 16. tradunt Carpz. ad*  
*dict. Const. Def. 2. num. ult. Berlich. Part. 3. Conclus. 21. Num. 7.* Si  
vero

vero plures liberi existant, modus ille dividendi deficit. *vid.*  
*Schultz in Syn. ad Instu. h. t. Lit. N. Carpz c. l. Def. 11. 12.* Quemad-  
 modum etiam hodie iste quibusdam in locis non frequenta-  
 tur, sed Juris Civil. dispositione adhuc statur. *vid. Richter. P. 1.*  
*Dec. 11. 68. num. 24.* Atqui nec illud hic prætereundum, quod  
 quandoque ille defunctus ultima voluntate bona speciatim  
 inter hæredes distribuit quam & Judex sequi debet. *L. 7. C.*  
*Fam. exerc. L. 21. L. 22. §. I. C. cod. Struv. Exerc. 15. ad ff. tb. 11.*  
 De cætero ad Quæstionem finium dirimendam dati *Leg. 12.*  
*Tabul. 3. arbitri.* qui de pedum spatio judicabant Pariter & ho-  
 die constituti sunt certi Arbitri ac agrimensores, *Unterganger /*  
*Steinseher* per quorum arbitramentum controversiæ inter con-  
 fines componuntur. *Struv. Exerc. 14. ad ff. tb. 59.* Sed vero de  
 Jure Saxonico tria saltem pedū spatium inter confinia est relin-  
 quendum *vid. Eckolt. Tit. ff. Fin. reg. §. 7.* Obiter tandem & illud  
 addimus, quod crimen termini moti olim ex Lege agraria pu-  
 niebatur multa 50. solidorum. *vid. L. 3. L. ult. §. 1 ff. de term. mot.*  
*W. ssenb. ad eud. Tit. tb. 10. Eckolt. ad dict. Tit. §. 3.* hodie pœna arbi-  
 traria est, quæ etiam ad corporis afflictivam, cum primis si fines  
 territoriales moti fuerint, extendi potest. *Constit. Crim. Art. 114.*  
*Struv. ad ff. T. tb. no. vid. fuse Carpz in Pract. Criminali P. 2. Quæst.*  
*83. num. 67. seqq. & P. 4. Const. 37. D. 10.*

*Thef. VIII. ad §. 21. & 22.*

Dividunt porro Actiones, quod vel in simplum sine  
 conceptz, vel in duplum vel in triplum vel in quadruplum §.  
*21. b. t.* Quæ quidem divisio itidem ab objecto petita, à superi-  
 ori tamen diversa est: In hac siquidē seu priori illa saltem expri-  
 mitur, quid quaq; actione petatur, resne sola, an pœna tantum,  
 an utrumque simul, illa autem, de qua in §. 21. h. t. agitur, quan-  
 tum peti possit ac debeat, & quousque in pœna supra id, quod  
 nobis abest, petendo progredi liceat, ne in pœnam plaris peti-  
 tionis incidat Actor, determinatur. Errant igitur illi qui divisi-  
 onem hanc cum superiore recurrere, quod idem sit Actio in sim-  
 plum

plum ac rei persecutoria, statuunt: eum quædam Actiones in  
simplum etiam pœnales sint. per §. *Vi autem 19. b. t. vid. Bachov.*  
*ad b. §. num. 1.* in quibus nempe certa pœnæ summa ita Lege com-  
prehensa est, ut neque dupli, tripli aut quadrupli mentio fiat, pu-  
ta cum pœna in 10. 20. aut 50. aureos constituitur. *L. 7 de Juris-*  
*dictione. L. pen. de in Jus vocando. §. 1. supra de Obligat. quæ quas. ex de-*  
*lictis. Bachov. c. 1. Ludwell. ad §. 22. f. b. t.* Illud vero quod in fine  
§. 21. *b. t.* instar principii additur, quod ultra quadruplum nulla  
extendatur Actio, declaratione omnino indiget. Locum igitur  
invenit Regula ista potissimum in Actione pœnali, quæ Actor  
persequitur id, quod sibi ex patrimonio non abest ad coercen-  
dum dolum vel culpam admissam. Ex adverso autem id quod  
abest interesse scil. damni emergentis vel lucri cessantis, lon-  
gissimo sæpe intervallo excedit rem vel æstimationem ejus in  
quæ & per quam damnum datum est. §. *illud 10. f. de Leg. Aquil. L.*  
*3. §. ult. de Incend. ruina naufr. L. Julianus 13. pr. de Act. emt, Ludw.*  
*ad §. 21. b. t. num. 2.* utpote si quis clavum è navi exemerit, ac hoc  
facto naufragii causam dederit omnium rerum nomine tene-  
tur. *L. quo naufragium 3. §. 8. de incend. Ruin. naufrag.* Vel si quis  
morbosum pecus tignumve vitiosum sciens vendiderit & grex  
totus contagione morbofi pecoris interierit, vel ædes tigni vi-  
tio corruerint utrinque ad interesse æstimationem scil. gregis  
vel ædium tenetur. *L. Julianus 13. pr. ff. de Act. emt. Mynsinger. ad*  
*b. §. Omnes h. t. num. 4* Unde in aprico est, multo plus quadru-  
plo ejusmodi obligatione ac inde resultante actione contineri.  
Tandem in §. 22. *b. t.* exempla Actionis in simplum referuntur  
quæ abs se satis plana sunt. Cum vero eadem saltem ad contra-  
ctus pertineant, non existimandum est, actiones ex delicto i-  
deo plane excludi. Nam ex his & istæ quæ rei persecutionem  
continent, in simplum competunt, utpote condictio furtiva, &  
actio rerum amotarum, nec non earum, quæ pœnæ persecu-  
tionem habent, nonnullæ in simplum dantur, veluti Actio ex  
Lege Aquilia extra inficiationis aut moræ causam, §. *vi bonor. 19.*  
*supra b. t. Conf. Vinnius ad dict. §. 22.*

B

Tb.

Tb. IX. ad §. 23.

Actio de servo corrupto directa propter sublatam servitutum hodie ab aula recessit; Utilis tamen adhuc hodie frequentatur & conceditur marito de uxore, magistratui de subditis, dominis de famulis hodiernis, Patri de Filiisfamil. corruptis, *Laerberb. Conclus. Forens. Exerc. 21. tb. 4. Lit. A. ibid. allegati Anteres Struv. Exerc. 15. ad ff. tb. 50 Conf. ulterius Dn. Hoppius in usu Moderno ad b. §.* De reliquis exemplis in h. §. allatis supra actum.

Tb. X. ad §. 24.

Actio in triplum unicum in hoc §. proponitur exemplum in Actoribus scil. calumniantibus, seu plusquam revera debebatur in libello conventionis petentibus ad hoc ut aegre faciant reo. Olim enim solebant Viatoribus sportulæ pro quantitate summæ in Libello petitiæ ab ipsis reis præstari unde si Actor majorem summam debita sciens tantum sibi non deberi, atque ita dolo ac fraudulenter peteret, reum damno consulto afficiebat, cui Imperator hac actione consulere voluit. *Conf. Ludw. & Vinnius ad b. §. collusioni simul ac avaritiæ Viatorum obviaturus. Mynsinger. ad b. §. num. 2.* Nam & contra hos actio in triplum conceditur, *vid. formulas ejusdem apud eundem Mynsingerum c. l. Num. 24. seq.* Juvabit vero hic nosse, quod sportulæ fuerint mercedes seu salaria Judicibus, item Viatoribus & executoribus constituta, ex causarum quantitate æstimanda, *jung. L. 33 §. 5. C. de Episcop. & Cler. Bachov. ad b. §. Dictæ à sportis, seu calathis de vimine textis, L. 3. §. ult. ff. de Pen. leg. Brisson. in Lex. hac voce Huberus in Prælect. ad §. h. t. §. 23.* Porro executores litium dicebantur, qui magistratui in executione judicatorum aderant, quibusque minuendi lites sollicitudo injuncta, Viatores vero erant nuntii & ministri Senatus, per quos ex agris vel oppidis Senatores in Curiam vocabantur, *Perez ad Tit. C. de Sportul. & Sumpt. §. c. num. 1.* Solebant enim Procures tum tempotis sæpe  
in præ-

in prædiis & agris morari, & cum consilium publicum Romæ cogebatur à villis per ejusmodi Viatores in Senatum arcessebantur. Quamvis vero ille mos advocandi Senatores cessaverit deinceps, nihilominus Viatorum nomen mansit & attribuitur omnibus iis, qui negotiis forensibus à Magistratibus adhibentur, & his in citandis & vocandis partibus ad Judicium ministrant. *Barbov. ad b. §.* Ab iisdem Viatoribus adhuc distincti erant apparitores, qui Magistratus imperio præsto erant & perpetuo in Jure dicundo apparebant, ex Collegio Executorum sumpti ac ad exequenda Judicium mandata parati. *Perez. c. l. N. 2.*

*Tb. XI. ad eund. §.*

Hodie Actor qui reum in Jus vocat, salarium seu mercedem Viatoribus præstat, non reus, illaque non juxta proportionem sumæ petitæ, sed juxta numerum milliarium commutatur. *Perez. c. l. N. 4. in fin.* Nam & omnis sportularum modus hodierno tempore ex more Regionum æstimandus venit. Et quamvis in Camera Imperiali Assessoribus nullæ debeantur judiciales. *Gail. Lib. 1. C. 151* tamen Judices alii præter salarium, quod ex publico capiunt, sportulas pro negotii qualitate à partibus exigunt. *Conf. Wissenb. adh. t. C. Naurath. in not. ad Zaf. b. t. Lit. A. Perez. adh. t. C. N. 6.* Debent autem hæ moderatæ & taxæ publicæ conformes esse, alias moderationi subjacent. *Conf. Ord. Jud. Electoral. Saxonici Tit. 36.* ubi simul quoque de expensis extrajudicialibus earumque moderatione agit. *Carpz P. 1. C. 31. D. 8. & in Proc. Tit. 24. Art. 4. N. 12. seqq. Svendend. ad Proc. Fibig. P. 1. Cap. 2 p. m. 920.*

*Tb. XII. ad §. 15.*

Actio quod metus causa est Actio Prætoriana qua quis ob metum illatum ab eo qui istum intulit, vel ex aliena malitia lucrum

B 2

crum

crum sensit, si res arbitrio Judicis non restituatur, quadruplum persequitur. *L. 13 §. 14. Quod met. causa.* Est vero metus instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio. *L. 1. L. 5. ff. eod.* Sicut autem ex suspitione concutitur mens ad metum, ita multo magis ex illata vi atroci, terretur. Vis enim (dicente Paulo) est majoris rei impetus, qui repelli non potest. *L. 2. ff. eod. Tit. 10.* Supponendus vero hic est metus justus, qui in constantissimum etiam hominem cadat *L. 5 L. 6. ff. L. 9. dict. Tit. Conf. Habn. ad Wesenbec. eod. num. 3.* utpote mortis, verberum, stupri &c. *L. 8. §. 5. dict. Tit.* Vanum ergo metum non attendit Prætor. *L. 6. L. 7. pr. quod metus causa,* est ergo si metu hostis advenientis quis vinum minoris vendat. *Lauterbach. Conclusionum Forensium Ex. 12. tb. 2.* Tendit vero hæc Actio in quadruplum non primitus, sed ob contumaciam. *Huber. in Posit. ad b. t. §. 52.* Et quadruplum quidem simul continet simplum & pœnam, adeoque mixta hæc Actio est. *§. nost. jung. §. 27. L. 14 §. 1. & 10. b. t. Lauterbach. in Compend. Jur. dict. Tit. in fin. p. m. 125.* Simplum est illud ipsum damnum metu illatum seu ipsa res quæ abest, simulque Fructus & omnis causa *L. Sed & partus 12. pr. L. 14 §. 7. Quod metus caus.* Pœna autem triplum est hujus damni cum fructibus & omni causa. *d. L. 14 §. 1. Struv. Ex. 8. ad ff. tb. 20.* Quæ tamen pœna cessat, si res ad arbitrium Judicis restituatur. *Lauterb. in Compend. Jur. dict. Tit. p. m. 124. Eckolt. ad ff. eod. §. 4. Surholt. Dissert. 18. Aphor. 71.* Omnino enim hæc Actio arbitraria est. *§. 3. sup. b. t. Oldendorp. c. l. num. 17.*

*Tb. 13 ad §. ennd.*

Actio quod metus causa etiam hodie in quadruplum intentari potest. Nec enim Juri Justiniano hac parte uspiam est derogatum; non usus vero non facit ut Jus aliquod abolicum esse censeatur: unde merito Lege Justiniana nixus intentionem & causam fundatam habet donec Jus posterius monstratur

tur contrarium, vid. *Lauterb. Conclus. Forens. Ex. 1. th. 1.* Et quamvis ejusmodi quadrupliones non esse hodie in usu cum *Mercurio & Gudclino* diserte statuat, *Wissenb. quog. ad Tit. ff. quod met. caus. th. 24.* *Cyprianus Regner. ab Oesterga in Censur. Belg. ad L. 1. de Calumn.* & *Ulricus Huberus in Posit. ad b. t. §. 53.* idem teneat: tamen istorum sententia, quamvis forte in Belgio, ubi isti vixerunt, obtineat, ad alia regna tamen & provincias extendi nequit. Ita ut instantiam accersamus, contendit pariter *Grænewegen*, Titulum de calumniatoribus quoad pœnam talionis iis inferendam ab aula recessisse, & tamen eandem Calumniatorum pœnam in Gallia adhuc frequentari, statuit *Christianus Vol. 4. Decis. 201. num. 22.* Etenim eadem facilitate qua desuetudo Legum asseritur, eadem negari potest, *Vid. Brunnem. ad L. 1. ff. de pos. uum 3. unde & Georgii Schultzeii opinio in Synops. Inst. ad b. t. ejusmodi Actiones pœnales hodie non amplius obtinere existimantis, ex principio isto facile concidit.* Quod si ergo hodie metu coactus actionem hanc arbitrariam instituere ac in quadruplum agere velit, non prohibetur, nec dubito, quin in Collegiis Juridicis cum primis nostrarum terrarum petiti locum invenerit, & illa desuper ac secundum indolem hujus Actionis ex Jure Prætorio sint pronuntiatura. *Conf. Dn. Hoppius ad §. 23. b. t.* Sed inquis si in simili causa agitata formulas hujus Actionis à Pragmaticis traditas perlustres, de petito quadrupli nihil in illis invenies. Equidem si Libellos quos circa actionem hanc exhibet *Dn. Svendendorfferus Tract. de Act. Cap. 3. Membr. 65. Sect. 1.* inspicias, de quadruplo in iis nihil continetur: sed petita ita formata leguntur: **Darauff zu erkennen bittende / daß er des getroffenen Kauffs ungeachtet den Libellirten Garten gegen auszahlung der 400. Th. klägern abzutreten und alle veruhrsachte Schäden und Unkosten zuerstattten schuldig. Desuper &c. item: Bittet auch darauff zuerkennen daß Bellagter**

Das Libellirte Pferd ohne Entgeld Klägern abfol-  
gen zulassen/ auch alle Schäden und Unkosten zu  
erstatten schuldig. Desuper &c. Verum Libelli isti forte  
ex Actis fuere transcripti & ab Advocatis concinnati, quod vero  
illi causam ita instruxerint, forsitan ratio fuit, quod Rei fuerint  
homines egeni, vel quia à nonnullis Auctoribus Actionem  
hanc non obtinere amplius, perhibentibus, ejusmodi Patroni  
causarum fuerunt decepti: Id quod aliis sane fraudi esse nequit.  
Non dicam de quorundam Advocatorum ignorantia. Certum  
est, probatissimos Autores, qui usum hodiernum in Commen-  
tariis suis addiderunt, de mutatione hujus quadrupli nihil in-  
dicare: quod argumento inservit, nihil de Jure Justiniano hic  
est mutatum. Silet namque hic Lauterbachius, silet *Dn. Schil-  
terus, Oldendorpius* quod mireris pariter tacet. *Stryck. etiam & Eckolt.*  
de mutatione nihil quicquam perhibent: Quin mecum potius  
consentit *Brunnem. ad L. 9 ff. quod met. causa* cujus verba hæc sunt:  
Quadruplum abolitum esse dicit hic *Grœnneweg.*  
quod de nostris Germaniæ moribus non concedo.  
Lex semper viget, licet non semper juxta eam pro-  
nuncietur. Certe nec contra eam decisum puto. Ad-  
stipulatur quoque nostræ sententiæ *Excellentiss. D. Stryck. in usu  
modern. ad ff. Tit. quod met. caus. §. 3.* Nec quicquam facit, quod ad  
contrariam consuetudinem provocetur, siquidem eadem hæ-  
tenus probata non est. *Conf. Job. Thomez Tr. de noxia Animal. Cap.  
30. n. 14. p. m. 215.* De cætero quicquid hic de actione quod me-  
tus causa in quadruplum tendente modo diximus, idem de re-  
liquis actionibus pœnalibus in plus quam simplicum Jure Justini-  
aneo competentibus, sentiendum ac statuendum erit.

*Tb. XIV. ad eund. §. 25.*

Porro Actio de Calumniatoribus est Actio in factum  
quæ






quæ ob acceptam calumniæ causa pecuniam, (ut nempe a-  
licui facefferet negotium vel non *Hub. in prælection. ad b. t. §.*  
*23.*) intra annum in quadruplum, post annum in simplum da-  
tur. *L. 1. pr. L. 3. §. fin. de Calumniat. Struv. Ex. 7. ad ff. tb. §.*  
Olim quidem Calumniatoribus in criminalibus litera K. in  
fronte inurebatur ex Lege Remnia, quod tamen postea pro-  
hibitum, utpote cum facies, quæ ad similitudinem pulchritu-  
dinis cœlestis figurata, minime sit maculanda, *L. 17. de pœn. &*  
*constitutum*, ut infamiam ejusmodi delinquentes incurre-  
rent. *L. 8. C. b. t. Eckolt. ad ff. tit. de Calumn. § 5.* Quamvis  
vero usum hujus Actionis modernum in Compendio Juris in  
medio relinquat *Laaterb. Tit. de Calumniat. in fine. & saltem*  
*quid Grænnewegen. & Gudelinus* de usu hodierno actionis de  
calumniatoribus adducat, præterea hodie Edictum hoc A-  
ctionemque exinde competentem non esse in usu, sed si quæ  
talis calumnia occurrat, interesse peti & poenam Arbitrariam  
infligi posse teneat & tradat *Struv. Ex. 7. ad ff. tb. ult. in f.*  
Tamen & hic sententiam *B. Bruunemanni* adhuc hodie ex *tit.*  
*de Calumn.* contra eos, qui calumniantur, agi posse existiman-  
tis ad *L. ult. ff. de Calumn. n. 3.* amplectimur, quemadmodum  
& supra attigimus. Cui sententiæ calculum quoque addit  
*Excellent. Dn. Stryck. in usu moderno ad ff. Tit. de Calumniat.*  
*§. 2.* Et quamvis rariorem actionis hujus Prætoriam usum ho-  
die esse moneat. *Eckolt. §. 5. ad tit. ff. de Calumniat.* tamen  
exinde LL. pœnalia Jure Justiniano competentium Auto-  
ritas vix infringetur.

*Tb. XV. ad §. 26. & 27.*

Actiones in duplum & quadruplum duplicis generis nec  
eodem

eodem modo poenales sunt ; Qvædam enim omnimodo & simpliciter in duplum intenduntur, adeoque sui natura tales sunt ; qvædam vero ex accidente ob inficiationem vel moram intervenientē in duplū crescunt qvales sunt: Actio ex L. Aquil. Depositi &c. *conf. Ludw. ad 26 & Vinnius ad eund. §.* Pariter ex Actionibus in quadruplum qvædam omnimodo & sui natura in illud competunt, uti Actio furti manifesti, in Factum, de Calumniatoribus &c. qvædam vero ob moram non quidem simplicem sed cum contumacia & inobedientia conjunctam, quorsum spectat Actio quod metus causa ; Siquid, metum incutiens, si rem extortam jussu & arbitrio Judicis restituat, ipse absolvitur ; sin vero renuat restitutionem & contumax existat in quadruplum demum condemnatio sequitur, *Mynsing. & Ludwell. ad §. 27. b. t. vid. & Huber. in Pralect. ad Inst. Tit. hocce §. 24. Tantum!*

S. D. G.




&  
es  
m  
il,  
er  
a-  
m.  
i-  
n-  
e-  
i-  
n-  
r,  
ed









ULB Halle  
001 507 125


3




TA 50L

WMA









176a

Q. D. B. V.  
Conclusionum Theoretico-Practicarum,  
AD INSTITUTEIONES JURIS,  
EXERCITATIO LV.  
Ad Lib. IV. Tit. VI.

38  
10  
1698

DE  
**ACTIONIBUS,**

Quam  
PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO


**DN. GODOFR. Strauß/**

Jcto & Antecessore celeberrimo, Potentiss.  
Regis Poloniarum atq; Saxoniae Electoris in supremo Ap-  
pellat. Judicio, nec non Serenissimorum Principum Anhalt. Servestan.  
Confiliario Aulico Splendidissimo, Facult. Juridicæ in hac Universitate  
ORDINARIO, Decret. Prof. Publ. Curiz Elector. Consistorii, & Scabina-  
tus ASSESSORE Gravissimo,

*Domino, PATRONO, ac PRAECEPTORE suo*  
*debita observantia colendo,*

IN JCTORUM AUDITORIO.  
Die 22. Januar. M. DC. XCVIII.  
defendendam suscepit

**JOH. WILHELMUS Graurock/ W. S.**



WITTEBERGÆ.

Typis JOHANNIS VVILCKII, Acad. Tygr.

